

sacra haec Congregatio intellexisset interdiceret et prohibere hujus usum communionis in casu, de quo agitur. Unde recolligendo ea, qua decet, reverentia materiam istam et inspectionem, speramus quod ipsum decretum nobis neque in litera neque in sensu adverteretur, sicque cessante lege in contrarium debeat consuetudo istius Congregationis, tamquam rationabilissima, in suo antiquissimo robore conservari, juxta monitum Nicolai Primi Summi Pontificis in epistola secunda ad Photium: „De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel eis resistimus.“ Cum consimilibus Sanctorum Patrum traditionibus relatis per clarae mem. Card. Bonamer. liturgicar. lib. 1. cap. 6. post princip. et concordant jura nota relata per Rotam decis. 647. p. 4. tom. 3. et decis. 102. par. 10. rec. Sperell. dec. 179.“

„Quod autem in litera non obsistat memoratum decretum editum sub die 12. Februarii 1679, patet ex integro illius contextu, ubi nec verbum quidem legitur expressum super facultate ministrandi SSam Eucharistiam in praedicta feria VI. Parasceve, unde subintrat regula receptissima, quod potius ea, quae non inveniuntur literaliter prohibita, censenda veniunt permissa.“

„Minusque dici valet resultare prohibitio ex implicito sensu ejusdem Decreti, cum ibi tantum dicatur per verba relativa: *Curent etiam ut circa communionem in feria sexta Parasceve missalis rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur.* At Rubrica missalis et Romanae Ecclesiae usus hodiernus, quidquid sit de antiquo, ut infra, tantummodo praecipit, quod sub

antecedenti feria quinta asserventur particulae consecratae pro infirmis, absque ulla tamen dictione taxativa, nimirum *solis*, aut: *tantum*, ibi: „Hodie reservat Sacerdos in loco honesto et conveniente unam hostiam consecratam pro die sequente, in quo non conficitur, vel etiam plures, si necesse fuerit pro infirmis.“ Unde nullo modo excluditur, quod hujusmodi particulae ex aliquo ritu aut devotione populorum non debeant neque possint sanis ministrari, ut specie huic eidem objecto respondendo animadvertit *Suarez* in 3. part. *divi Thomae* disput. 80. sect. 2., *Layman*. in Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. cap. 4., *Emmanuel* Sa verb. Euchar. num. 19., *Facund.* de quinque *Eccles.* praecep. p. 1. lib. 3. cap. 16., egregie *Vasquez* in 3. part. d. *Thomae* tom. 3. disp. 232. c. 2., *Castropolaus* oper. moral. part. 3. tract. 22., *Bened. Aetfen.* in disquisit. monastic. lib. 3. tract. 7. disquisit. 3. *Joannes Sanchez* in select. disp. 22., qui alios sexdecim authores recenset, et omnium egregius *Theophilus Raynaud.* oper. mor. tom. 16. sect. 1. Unde *Amalarius* lib. 1. de eccles. offic. cap. 11. dicit non solum pro infirmis sed etiam pro his omnibus, qui sequenti die communicare volent, debet Sacramentum in die Coenae Domini reservari. Et *Durandus* in *Rationali* lib. 6. cap. 75. subjungit servari pro infirmis et religiosis.“

„Et quidem quoties vellemus arguere, quod, dum rubrica Missalis providet, ut supra, sacram synaxim pro infirmis et valetudinariis asservari, in consequentiam non liceret sanis communicare, deberet quoque eundem sensum eandemque interpretationem recipere Sacrum Concil. Trident. in sess. 13. cap. 6. deprompta ex antiquiori canone in cap.: *Sane* de celebrat. miss., in quibus pariformiter sancitum habetur, quod in ecclesiis

parochialibus Sacramentum semper asservetur pro infirmis, et tamen nemo dixerit, quod non liceat etiam sanis idem Sacramentum ministrare. Unde bene recurrit ratio allata per supra laudatos theologos et canonistas, quod in tantum sub praefata rubrica literaliter nominantur infirmi, quia id fuit expressum ex causa majoris necessitatis, sicuti eadem necessitate exigente compelluntur parochi semper ad hunc effectum asservare Sacramentum, adeo ut alias puniri valeant in visitatione per suspensionem spatio trium mensium ab officio, ex iis, quae referuntur per *Mench.* de arbitr. cas. 410., *Fusch.* de visitat. lib. 1. cap. 5., *Barbos.* de offic. Paroch. par. 2. cap. 20. et ad rem *Suarez.* d. disput. 80. sect. 2. firmans., non ideo est quia illis solis, scilicet infirmis, dispensari, sed quia illa fuit causa maxime necessaria asservandi Sacramentum.

„Atque hinc attendendi non videntur aliqui forte levioris nominis et in numero pauciores, quos hinc inde de more recensendo refert *Diana* tract. 6. *Miscell. resol.* 29. in princip. Cum, quatenus attinet ad hanc rationem rubricae, satis ex supradictis ad evidentiam ferme remaneat elisa, ac de caetero consueverint aliquando morales ponere in controversiam id etiam, quod ab omni disputatione videtur alienum, ut prae caeteris fecit modernus *Pasqualig.* in sua *Theor. et prax. quaest.* 261., qui suscitavit altercationem prorsus contemnendam, an ipsis etiam infirmis, pro quibus expresse rubrica jubet reservari Sacramentum, possit in praedicta feria sexta ministrari, sive potius intelligatur pro reliquo ejusdem diei et pro sabbato subsequente antequam sacerdos celebret.“

„Sublata itaque tam verbali quam virtuali comprehensione nostri casus in praedicto decreto inutile creditur

opus reassumere quaestionem istius permissionis sive liciti aut illiciti usus in abstracto. Verum quia non parum conferre valet hujusmodi perquisitio ad faciliorem nostrae petitionis exauditionem, supplicamus adverti quod, ut praemisimus, illi paucissimi morales et canonistae, qui tenuerunt absolute, non posse sanis in hoc die dispensari sacram synaxim, videlicet: *Francotinus*, *Barbosa*, *Gavantus*, *Marchinus*, *Megall.* et *Leoni* relati per *Dianam* et *Pasqualigo*, ubi supra, fundantur praeter argumentum a toties memorata rubrica depromptum in altera dispositione seu epistola *Innocentii I.* registrata apud *Gratianum* sub cap. sabbato de consecr. dist. 3., ac denique in quadam asserta resolutione Sacrae Congregationis Rituum sub die 19. Februarii 1622, in qua id decisum fuisse testatur *Gavantus* in rubric. miss. tit. 9. p. 14., *Barbosa* de offic. Paroch. p. 2. cap. 20.

Quamobrem praefatum canonem seu epistolam in cap.: *Sabbato* dispungendo illius verba sunt haec: „Nam utique constat Apostolos biduo isto et in moerore fuisse et propter metum Judaeorum se occultasse, quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.“

„Ex quibus profecto verbis erroneum videtur cum supradictis paucissimis moralibus inferre, quod ex antiqua traditione Ecclesiae non consueverit in isto biduo sanis communicare. Aliud quippe est Sacramentum non celebrari, aliud autem Sacramentum jam celebratum, videlicet consecratum, non dispensare; quoniam verum celebrare non est proprie praebere Eucharistiam populo sed pro eo missam dicere et sacrificium facere apud scribentes in utroque foro semper usurpatur, prout atque larga transcriptione doctorum satis in-

dicat ipsa rubrica decretalium de *Celebratione missarum*.“

„Eoque magis ponderata anima rationis tam adducta ab ipso Innocentio, nimirum ex causa moeroris, quam per alios excogitata, scilicet, quod, cum eo die Ecclesia recolat realem Christi passionem et mortem, non expedit mysticam et incruentam mortem exhibere vel, ut alii sentiunt, in tantum sub illis diebus sacerdotale officium non peragitur, in quantum percussus est pastor et dispersae sunt oves, vel denique, ut sentit Ugo de s. Victore, lib. 3. Miscell. cap. 43., non sacrificant amici, cum trucidant inimici, sed ista omnia faciunt dumtaxat ipsam concretionem seu missae celebrationem, non autem augustissimae Eucharistiae dispensationem. Quinimo congruum videtur, ut potius devotorum fidelium moeror isto passionis fructu recretur, innuit doctor angelicus in 3. part. quaest. 83. art. 3. ibi: „Veniente veritate cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quaedam et exemplum dominicae passionis et ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc Sacramentum nobis exhibitum, Corpus Christi consecratum in die praecedenti reservatur sumendum in illa die.“ Et notarunt etiam praefatas congruentiae rationes cumulantibus Emmanuel Sa, Layman, Vasquez et Suarez, quos sequitur Castropal. oper. mor. p. 4. tract. 22., Raynaud quoque ibi supra.“

„Ac denique ad evidentiam, quoniam si deberet adversari praelata ratio ita sobrie degustata, neque deberet in die sabbati sancti ullo modo celebrari sacrificium missae, neque possent communicari fideles, cum utramque diem praefata censura sive epistola relata

in cap.: *Sabbato* amplectatur. Et tamen ex ipsa praxi et consuetudine hodiernae Ecclesiae contrarius ritus invaluit, ut post Riccardum, Paludanum et alios tradit Azor. instit. mor. par. 1. lib. 10. cap. 24.; qui conciliat praefatum textum sub hac praecisa ratione, quod scilicet sit anticipata celebratio missae sollemnis in die sabbati, quae olim fieri solebat appetente jam nocte Paschalis, idque ad effectum, ut caetera ecclesiastica Officia possint compleri. Et in individuo hanc consuetudinem ad rem nostram adduxit Theophilus Raynaud (tom. 16. sect. 1.)“

„Sed hoc non spectat nisi sacrificium. Quod si ad communionem quoque pertineret, negandum esset licere communicare sabbato sancto contra praxim receptissimam; nam textus ille aequè excludit celebrationem Sacramentorum in sabbato ac in feria sexta.“

„Quo vero ad alterum fundamentum desumptum ex praedicta declaratione Sacrae Congregationis Rituum, in primis illam fuisse suppositam late de caetero articulo pro hac parte discusso et improbando Dianam et alios illam referentes dixit Busembaum in Medull. lib. 6. tract. 3. cap. 3.“

„Et sane ad hoc ut Gavanto, Barbosae et Dianae praedictam declarationem referentibus standum foret, necesse esset quod de illa constaret per subscriptionem et sigillum Emmi Praefecti et R. P. D. Secretarii in authentica forma, ut ad coercendum abusum aliquorum doctorum de eis testificantium statuerunt s. m. Urbanus VIII. et Innocentius X.“

„Et secundo praesupposita etiam existentia et veritate praedictae declarationis, ponderandae sunt circumstantiae illius casus, pro cuius definitione Sacra Congregatio suum edidit responsum et oraculum. Stante etenim aliquali diversitate hujusmodi declara-

tionem legem facere non consueverunt, prout ex sensu earundem Sacrarum Congregationum respondit Rota in dec. 197.“

Casus autem, super quo fertur respondisse Sacra Rituum Congregatio, ut habetur apud Gavant. super missa part. 4. tit. 9., ille erat: *Utrum occurrente festo Annunciationis Beatae Virginis in Parasceve tenerentur fideles interesse praedicto officio, quod loco missae celebratur, et an ratione ejusdem festi ministrari posset Eucharistia aliis quam infirmis?* et Sacra Congregatio consulta Superioribus seu Officialibus Aedis Lauretanae, dicitur ad utrumque respondisse: *Negative*. Ideoque quando etiam, ut diximus, vellemus praesupponere existentiam et realitatem praefatae declarationis, nihilominus ab ea nequiret inferri ad easus nostri decisionem, cum in illo tractaretur de re nova ac de inducenda consuetudine in loco, ubi non reperiebatur; sed nos versamur in ecclesiis Congregationis Benedicti Hispaniarum, in quibus memoria non extitit in contrarium, quod in hac feria sexta Parasceve ob pium illorum fidelium accursum non fuerit Sacra Synaxis dispensata. Ideoque stat insimul, quod caute provideatur ne in locis, ubi hujusmodi usus non viget, non introducatur et e converso, ubi est in actuali robore, in posterum asservetur. Imo sub hac distinctione et quia tunc cessat ratio decentiae, in terminis terminantibus tenuerunt Tamburinus de communione, Hurtadus de sacrif. miss. disp. 4., ubi laudat quoque pro hac opinione Suarez.

Et sane sicuti novorum rituum introductio, in quibus aliqua rationabilis causa non concurrat, potest regulariter malum effectum producere, ita veteris et immemorabilis consuetudinis et observantiae abolitio, quoties ut ad

praesens ex communi sensu Doctorum per se non sit mala neque irrationabilis, parere valet quamdam speciem scandali et admirationis in fidelibus, prout commemorat D. Augustinus in epist. l. 118., ubi ait sibi dubitanti de variis Ecclesiarum observationibus respondisse s. Ambrosium: „Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.“ Idemque in epistol. 86. subjungit: „In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt, de quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare oriatur interminata luctatio.“ Cum quibus et similibus ad rem nostram optime procedit Cardinalis Bona d. cap. 6. *rerum liturgic. post princip.*

Nec ex eo quod in Urbe vel in Italia talis observantia non vigeat, elici posse videtur consequentia, quod Romanae Ecclesiae usui repugnat, tum quia, ut habetur ex tot auctoribus superius ex hac parte relatis, ex non usu nequit oriri lex aut ratio prohibitiva, tum etiam quia, licet Romana Ecclesia habeat caput et primatum apud ipsam residentiam Papae, adhuc sub nomine Ecclesiae Romanae comprehenduntur omnes et quaecumque Ecclesiae inferiores, quae cum ipsa Urbe et residentia Papae in fidei unitate procedunt. Ideoque non valet absolute inferri, quod iste usus in tota Ecclesia Romana cessaverit, dum alibi reperitur in observantia, ut in specie ratiocinatus est Vasquez in praedicta disput. 232. cap. 2. Et quod ultra loca nostra in aliis Ecclesia Latinae partibus id observetur, comprobatur Raynaud tom. 16. sect. 1. punct. 4. vers.: *et praxim Matritensem*.

„Fortius igitur, quoniam observantia et consuetudo florens in nostra Con-

gregatione Ordinis s. Benedicti non apparet introducta de recenti vel postquam generalior usus Ecclesiae in desuetudinem posuit hujusmodi ritum, sed fuit potius retentio et continuatio quaedam antiqui universi ritus totius Ecclesiae, de quo constat in ipso Sacramentario s. Gregorii Magni, de coetu olim et gremio gloriosissimi Patriarche s. Benedicti. Cum enim ibi praescribatur officium feriae sextae, de quo agitur, in fine habentur haec verba: *Communicant omnes cum silentio*. Et apud Pamelium in liturgiis legitur: *Communicat Sacerdos et omnis plebs*. Et in ordine romano pariformiter habetur: *Hac die communicent omnes*. Quo argumenti genere et ritu antiquo totius Ecclesiae per spatium mille annorum et ultra observato utitur Cardinalis Bellarminus ad impugnandos haereticorum ausus, qui praesumunt communionem sub utraque specie omnibus esse dispensandam, prout videre est tom. 2. contr. libr. 4. tit. de Sacram. Eucharist. cap. 24. vers.: *Quod in Parasceve*. Et de hoc antiquissimo stylo videre est testificantem Rupert. lib. 6. de divino offic. cap. 22., qui de eodem Ordine s. Benedicti existebat.

„Ac propterea quomodo permittendus non venit iste ritus in nostra Congregatione, dum non praetenditur introduci hodie de novo, sed tantummodo continuari et quodammodo retineri, in obsequium praedicti s. Pontificis adeo eximii et ejusdem ordinis Sancti Benedicti. De continuatione etenim immemorabili a praedicto tempore protracta vel saltem sine contraria hominum memoria usque ad praesens practicata testatur liber Caeremoniarum ejusdem Congregationis editus de anno 1599 sub cap. 3. et impressus per Andream Mencam et in ultimo Caeremoniali ejusdem ordinis impresso Salamanticae de

anno 1635. P. Antonius Velasquez Pinto in Thesauro Christianorum dis. 4. cap. 49.“

„Comperta itaque potius retentione antiquae consuetudinis et ritus quam illius supervenientia de novo, hinc proinde sperare fas est, quod etiam, quando sacra haec Congregatio et SSmus Dominus Noster generaliter intellexissent abolere caeteras consuetudines, nihilominus hujusmodi intellectus ex verisimili voluntatis et intentionis defectu non comprehendat consuetudinem nostram particularem, praecipue cum de ea specialis mentio facta non agnoscatur neque vincatur, quod fuerit habita notitia peculiaris rationis, ut supra in casu nostro concurrentis. De hac etenim ipsa inscitia particularium consuetudinum adversus decreta et constitutiones apostolicas dari posse non erubuit aut fuit dedignatus Summus Pontifex Bonifacius VIII. in cap. 1. de consuetud. in 6. per ea verba: „Licet Romanus Pontifex (qui omnia jura in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur, quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistent) potest probabiliter ignorare ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur, in ipsa non intelligitur in aliquo derogare.“

„Ac denique adstipulante pro corone alia propositione in se verissima et frequenter apud scribentes canonizata, nimirum quod immemorabilis sublata non censetur per quamcunque legem universalem etiam loquentem de ipsa consuetudine, nisi ipsa immemorabilis sit in se mala, iniqua et irrationabilis. Unde ex hac ratione nunquam censetur immemorabilis sublata per S. Cons.

Tr. ex Collectis per Gratianum discept. 49.

Quare etc. *Ansaldus de Ansaldis Adv. S. C. resp.: Lectum.*  
Die 22. Mart. 1681.  
(*Ibid.* p. 842.)

6) Particulae duae vel grandiores tradendae.

Tradentes duas particulas, cum sit contra usum Ecclesiae, contra canones facere.

(*Anal. J. P.* 1864 p. 816.)

„Declaret S. C. contra usum Ecclesiae facere tradentes duas particulas pro communionem, et ideo prohibeat.“

S. C. die 2. Octbr. (*Ibid.* p. 818.)

„Doceat confessarius in Ecclesia seu oratoriis privatis ex dispensatione Pontificis sumendam SSmam Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, quam ad infirmos et hisce publice et cum pompa juxta formam Ritualis, neque ulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas.“

*Instruct. ad Episcopos* die 5. Febr. 1678. (*Ibid.* p. 819.)

„Insuper doceat nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas.“

(*Ibid.* p. 823.)

7) Particulae missa peracta relictas pueris innocentibus.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (asserv. in eccles. monial. t. III. p. 501: *Compertum* etc.)

8) Pecuniae pro ea non solvendae.

*Chianciani.*

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Patris praedicatoris Chianciani

jussit committi Episcopo, ut omnino removeat ab usum dandi quadrantem immediate post susceptionem SSmae Eucharistiae.

Hac die 21. Aprilis 1668.

(*Anal. J. P.* 1865 p. 1151 n. 1829.)

Cautum semper in Ecclesia fuit, ut a Sanctuarii Ministris omnis avaritiae, species arceretur et Spiritus Sancti dona, quae gratis data sunt, absque ullo pretio, pactione vel contractu fidelibus distribuerentur. Hinc pluribus apostolicae sedis sanctionibus coërcita est quorundam cupiditas, qui aliquod spirituale aut spirituali adnexum venale facere vel pecunia possidere autumabant, gravissimaeque poenae inflictas et irrogatas in eos, qui excessus hujusmodi patrare ausi fuerint. Praestat animadvertere, quanta cura et diligentia insteterint Summi Pontifices, ne in Sacramentorum administratione quid minimum perciperetur: *In Cap. Cum Ecclesia 9. de Simonia* sic statuitur: „Ne igitur de caetero fiant vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem vel Sacerdotibus instituendis aut sepeliendis mortuis, benedicendis rubentibus seu aliis Sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire praesumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.“

Loquendo vero de administratione Sacramenti Confirmationis, *Cap. Quidquid invisibilis 101. caus. 1. quaest. 1.* praecipitur, ne quod invisibilis gratiae consolatione tribuitur, quaestibus vel quibuslibet praemiis venundari penitus debeat et sub gravissimis poenis vetitum est pecuniam recipere pro baptizandis consignandisque fidelibus aut collatione Chrismatis vel promotionibus graduum, et in *Cap. 105. dicta caus. 1. quaest. 1. habetur*: „Dictum est solere

in quibusdam locis perceptione Christatis nummos dari, similiter pro Baptismo et communione: Hoc simoniacae haeresis semen detestata est sancta Synodus et anathematizavit et, ut de caetero nec pro ordinatione nec pro Chrismate vel baptismo vel pro balsamo, nec pro sepultura vel Communionem quidquam exigatur, statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur“.

(Ex resol. S. C. C. diei 16. Mart. 1782. *Ferentina.*)

#### 9) Pueris post baptismum.

Vd.: t. III. p. 226 etc. p. 247 n. 7.

#### 10) Ritus.

a) *Utrum Laicis latin. in locis Graecorum et Laicis graecis in Latinorum oppidis SSmum juxta loci ritum distribui possit?*

Vd.: *Ritus latinus* (utrum presbyt. latin. etc.) *Ritus latinus* (Laicus graecus ad etc.); *SS. Sacrament.* (asservationis altare); *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV: *Etsi pastoralis* §. 2. n. 7. §. 6. n. 11 etc.; Constit.: *Allatae* §. 22., 23., 24 etc. p. 226. t. III.)

#### *Benedictus PP. XIV.*

I. Ne Laici latini SS. Sacram. Euchar. a graecis presbyt. sub specie fermentali recipiant, prohibemus omnino et interdiximus.

II. Graecis tamen laicis permittimus ut, ubi parochiam graecam non habent, possint, si velint in ecclesia latina Euchar. sub specie azymi a lat. Sacerdotibus sumere.

III. Quod si in locis, in quibus Graeci et Latini simul moram trahunt et sunt utriusque ritus ecclesiae, Latini quidem in fermentato et Graeci in Azymo SS. Euchar. quandoque su-

mere soleant, siquidem haec consuetudo sine populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in Azymo, Graeci autem, ubi propr. parochiam habent, in fermentato communicent.

IV. Ut autem iidem Laici graeci eucharistica sub utraque specie communionem refici valeant, permittimus in illis dumtaxat locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est et ad praesentem usque diem servatur ac viget: ita tamen, ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque in Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero praefatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcoporum, quorum juris dictioni Graeci subjiciuntur, curae sit ne in posterum admittatur.

*Constit. Bened. XIV.* die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 98).

#### b) *Latinus.*

S. R. C. requisita: an de medio tolli debeat usus inter quasdam Sanctimonialias inductus, ut, dum ad s. Eucharistiam accedunt, ipsae et Puellae earum curae commissae propriis manibus accipiant et sustendent patenam deauratam, ne fragmenta decidant, quam una alteri communicaturae successive porrigit? In ordinario coetu ad Quirinale hodierna die coadunata ad relationem R. D. Secretarii S. C. rescripsit: Permitti posse, dummodo non sit eadem patena, quae sacrificio Missae inservit, sed tantum communicandis tradatur.

Die 17. Septembris 1853.

(Anal. J. P. 1853 p. 885).

*Ad dubium:* An in Missa privata, dum celebrans administrat s. communionem, minister debeat eum comitari cum cereo accenso, sicut aliqui putant, quamquam rubrica taceat de hoc ritu? vel quum purificationem, quae pro populo non est in usu, non praebet, nec mappam communionis, utpote cancellis affixam ante cornu epistolae?

II. An in Missa solemnem a simplici Presbytero celebrata, dum administratur populo sacra communio, duo Acolythi, si non sustineant mappam ante communicantes, debeant comitari celebrantem cum suis candelabris et cereis accensis vel manere ad credentium genuflexi ita ut Diaconus et Subdiaconus soli tunc comitentur celebrantem? An saltem in Missa absque ministris sacris cantata Acolythi debeant assistere celebranti tempore communionis populi, sive cum candelabris sive cum facibus?

III. An sacerdos in fine administrationis communionis extra Missam profert verba: Benedictio Dei omnipotentis etc. debeat elevare et extendere manus eodem ritu ac dum dicit in fine missae: Benedicat vos omnipotens, sicut docent Cavalieri tom. 4. cap. 4. dec. XIII. n. 41 et alii, aliis contradicentibus et Rituali hunc ritum non indicante, vel dicendo haec verba tenere manus junctas et tantum inclinare caput?

S. C. resp. ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II.: Servari posse laudabilem consuetudinem adstandi cum facibus.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2200 etc.)

*Ad dubium I:* Adsunt dispositiones Caeremonialis Episcoporum lib. 2. n. 39.

Decreta authentica. Tom. III.

de patena a Diacono tenenda sub mento communicantium, quando communicatio in missa solemnem ab Episcopo administratur; adest etiam Decretum die 3. Septbr. 1661 in Andrien. declarans licitam esse patenae suppositionem per sacerdotem cotta indutum in communionem generali, quae per dignitates agitur. Sed quaeritur: utrum in aliis casibus liceat, ubi talis est consuetudo, dum celebrans ministrat sacram communionem, patenam a Diacono supponi sub mento communicantium, prout suadet a nonnullis praeclaris liturgistis Merati et Bauldry. Experientia enim, ut dicunt, necessitatem hujus ritus evidenter probat. Et revera, quoties pluribus administratur sacra communio ex particulis consecratis parva fragmenta decidunt, quae si in linteum ante communicantes extensum cadant, in terram postea labentur, dum hoc linteum movebitur per fideles successive ad sacram mensam accedentes et praesertim quum finita communionem auferetur linteum: itaque, quum non appareant, pretiosissima fragmenta disperdentur. Ad haec praecavenda prae laudati auctores praedictam praxim de cujus legitimitate inquirimus, commendant, vel potius eo tempore, quo distribuitur sacra communio, diaconus debeat ministrare clericis purificationem prout indicat rubrica missalis 2 part. tit. 10. n. 9?

II.: Propter eadem motiva ad praecavendam sacrorum fragmentorum perditionem potestne sacerdos sanctam communionem sive intra missam sive extra missam administrans tenere patenam inter digitos manus sinistrae, quae s. Pyxidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat, quamvis rubrica sileat de hoc ritu?

III.: Quatenus autem suppositio patenae, de qua in duobus dubiis praecedentibus agitur, non liceat, quaeritur: quoddam medium adhiberi debeat,

ut praecaveatur sacrorum fragmentorum disperditio, dum sancta communio administratur?

IV.: Quando S. Communio ministratur monialibus ad fenestellam clausurae, muri crassitudo impedit, quin sacerdos prope os communicantium Pyxidem admovere possit ad praecavendum, ne fragmenta cadant extra ipsam: licetne in hoc casu servare consuetudinem apponendi supra linteum ante communicantes extensam laminam argenteam deauratam seu bacile ejusdem materiae ad recipienda fragmenta, quae decidere possunt et inde a sacerdote postquam ad altare regressus fuerit, colligentur?

V.: Purificatio post communionem, de qua loquuntur rubricae missalis part. 2. tit. 10. n. 9. et Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 29. num. 4. non est in usu apud nos; quaeritur utrum instaurationis liturgiae romanae occasione in Dioecesi nostra expediat hanc praxim inducere saltem pro communione Cleri sive generali sive particulari in missa solemniter?

S. C. resp. ad I.: Quoad primam partem: *Licere*; quoad secundam: Juxta consuetudinem, sed purificationem etiam clericis subministrari posse.

Ad II.: Negative;

ad III.: Quoad communionem solemnes provisum in primo; quod alias curam et solertiam sacerdotis supplere debere;

ad IV.: Affirmative;

ad V.: Provisum in primo.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192).

#### 11) Sermo ante distribut.

*Ad dub.*: Utrum sacerdos in missa, postquam se communicaverit, priusquam communionem adstantibus distri-

buat, possit sermonem ad populum habere?

Resp.: Concionis vel sermonis infra missam exempla desunt. Si erit habendus sermo, inquit Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 8. §. 48: „Episcopo celebrante ab eo fieri convenit vel ab aliquo canonico presbytero.“ Synodus Tridentina sess. 21 de sacr. miss. cap. 8 mandat pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant ac inter cetera sanctissimi ejus sacrificii mysterium aliquid declarent.“

Docet quidem supradictum Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 22. §. 2 „quod sermo regulariter infra missam debet esse de evangelio currenti, et paulo post §. 5.: si habendus est sermo extraordinarius . . . non debet infra missam fieri, sed illa finita“.

Sed novum non est, etiam extra praedictos casus reperiri exempla sermonis infra missam, quando agitur de admonitionibus vel exhortationibus, quae sacram actionem, pro qua missa celebratur, respiciunt. Sic rubrica missalis in missa pro sponso et sponsa: „Dicto *Pater noster*, sacerdos antequam dicat: *Libera nos, quaesumus Domine*, stans in cornu epistolae versus sponsum et sponsam ante altare genuflexos dicit super eos sequentes orationes etc., et in fine missae dicto: *Benedicamus Domino*, vel si missae illius diei conveniat: *Ite missa est*, sacerdos antequam populo benedicat conversus ad sponsum et sponsam dicat, *Deus Abraham etc.* Et post praescriptam orationem moneat, prosequitur rubrica, eos sacerdos sermone gravi ut sibi invicem etc.

Jam vero cum infra missam distri-

butio sacrae communionis non solum permittatur sed etiam magnopere commendetur, non video cur tolerari non posset, ubi ad est consuetudo, ut exhortatione gravi, brevi ac devota (vulgo fervorino) tam suscipientes Eucharistiam quam adstantes fideles erga tantum. Sacramentum praesertim occasione spiritualium exercitiorum, primae puerorum communionis ac frequentioris concursus ad sacram mensam a sacerdote ipso celebrante, qui aliunde verbum Dei praedicandi facultatem habeat, excitentur atque inflammentur. Haec est etiam praxis timoratorum et passim ut fieri Romae videmus. Responderem itaque: „Affirmative, ab altari et de consensu Ordinarii.“

S. C. resp.: Affirmative, ab altari et de consensu Ordinarii.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 337.)

#### 12) Tempus.

*Ex decret. Conc. Viennens. diei 9. Novbr. 1858.*

Communio diurno dumtaxat tempore, ab aurora usque ad meridiem vel immediate post Missam, cujus celebratio hora ipsa meridiana inchoavit, dispensanda est, nec in sacratissima Nativitatis Dominicae nocte fidelibus eam praebere licet. (Tit. III. cap. VI.) Ubi autem primam Missam hora matutina quinta celebrare consuetum sit, in ea vel post eandem Synaxim sacram conferre fas est, quamvis aurora nondum lucescere coepisset.

Praeterea sit tanta poenitentium multitudo confluerit, ut eorum confessiones ante meridiem absolvi nequeant, etiam post meridiem rite jejuni ad divinum convivium admitti possunt. (Tit. III. cap. VI.)

Prohibitum est, in sacellis privatis cuiquam vel aegrotis sacram Eucha-

ristiam impertiri, nisi expressa hujus rei licentia obtenta fuerit.

Vd.: *Communio* (tempus.)

#### XIV. Expositio.

Vd.: *Expos. SS. Sacram.*

##### 1) Pro Defunctis.

Dum Rmus Episcopus Montis Politanus ingenue exposuit in sua dioecesi consuetudinem vigere exponendi SSmm pro hoc vel illo defuncto quotannis vel quibusdam diebus loco officiorum de requiem, insimul declaravit difficile admodum esse hanc ipsam consuetudinem impedire, siquidem quatenus venia denegetur, fideles neque expositionem SS. Sacramenti faciunt neque officium de requiem. Verum quum expositio ista decretis non sit consentanea, hujus s. Apostolicae Sedis oraculum requisivit Rmus idem Episcopus, cujus humillimae preces cum a SSmo Domino nostro Pio IX. Pontifice maximo transmissae fuerint ad Sacram Rituum Congregationem, haec in Ordinariis Comitibus ad Quirinale eadem die coadunata, audita a R. P. D. secretario infrascripto fideli relatione, respondendum censuit: *Pro gratia speciali*, non obstantibus decretis, Episcopus pro suo arbitrio et prudentia juxta particulares casus et circumstantias indulgeat.

Die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1850 Ed. II. p. 111.)

##### 2) In diebus bachanalibus.

Vd.: *Instruct. Clem. §.: XXXIII. n. 10. etc.*

*Colonien.*

S. R. C. ad instantiam abbatis et monachorum ordinis s. Benedicti monasterii de Brouller Colonien. benigne concessit, ut imposterum in eorum ecclesia in ultimis tribus diebus Bach-